



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 32. Papa gratificatur Carolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII. debant contra facere durante Cœlestini
 A.C. 1294. pontificatu.

§. XXXII.

Papa gratificatur Carolo.

Etiam Rex Siciliae Carolus e gratia, qua
 apud Cœlestinum florebat, peculiari-
 res volebat fructus percipere. Impetra-
 vit ab eo confirmationem pacti, quod
 cum Arragonum Rege Jacobo conflat-
 verat; & cujus puncta præcipua erant,

*Rayn. to. 15.
 app.*

I. Carolus procurabit reconciliationem
 domus Arragoniæ cum Ecclesia, & re-
 vocationem sententiarum omnium la-
 tarum in Petrum Regem, Alphonsum,
 Jacobum, & Fridericum ejus filios.
 II. Jacobus Arragonius Regi Carolo
 restituet Ludovicum, Robertum, &
 Raymundum tres ipsius filios, Berenga-
 rium, & cunctos reliquos, quos habet
 obsides aut captivos, omnesque terras
 ac loca, quæ cis fretum tenet. III. Post
 triennium circiter festum Sanctorum
 Omnium an. 1294 Siciliam reddet Ec-
 clesiæ Romanæ, quæ illam possidebit
 anni spatio, ac nemini restituet sine
 consensu Jacobi. Papa Cœlestinus, in-
 quam, ratam habuit hanc pactionem,
 dummodo Gallorum Rex, & frater e-
 jus Carolus in eam consentirent. Lit-
 teras dabat Aquilæ 1 Octobris.

Ludo-

Ludovicus, secundus Caroli Regis filius, & Arragonum Regis captivus, unum & viginti annos habens, necdum tonsura initiatus erat; sed solummodo significabat se cupere amplecti statum ecclesiasticum. Papa tamen archiepiscopatum Lugdunensem, quem Beraldus Degotus sacra purpura & Albanensi infula ornatus vacuum reliquerat, illi Principi juveni non contulit modo, sed & administrandum in rebus tam sacris quam profanis commisit. Diploma datum est Sulmone 9 Oct. sed effectum caruit: ac sedes Lugdunensis non desit vacare nisi post biennium.

III. l. 1. 1.
Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

Gall. Chr.
to. I. p. 326.

§. XXXIII.

Papa Cardinalibus displicet.

Ita Coelestinum, tametsi purissima mente ageret omnia, simplicitas, in qua vitam duxerat, penuria experientiæ, infirmitas ætatis, ministrorum, aliorumque, quibus confidebat, fraudes in multos errores inducebant, adeo, ut interdum eadem gratiæ tribus vel quatuor hominibus concessæ, chartæ puræ sigillo munitæ, beneficia, antequam vacarent, collata invenirentur. Multa etiam beneficia immo episcopatus largiebatur in absentia Cardinalium, aut præsentibus non consulens. Denique exacer-

Boll. p. 427.
440. n. 1. 457.
Rayn. n. 18.